

lem, plenilunio tamen duntaxat, similiterque eam digredi aliquando tam in Austrum, quàm in Boream, nunc nonnihil magis, nunc nonnihil minus quàm Solem, &c.

Fixarum  
Motus.

Circa *Fixas* denique notarunt præter motum diurnum (quo diem stellas ab ortu in occasum volvi videntur) illas non tenere semper eandem à punctis *Æquinoctialibus* distantiam, sed tendere magis lentissimè in consequentia, & (ut visum quidem aliquibus est) inæqualiter, hoc est, nunc segnius, nunc velocius; Nam *Spicam Virginis*, *verbi causa*, quam *Timochares* non longè ab obitu *Alexandri M.* observavit præcedere punctum *æquinoctii Autumnalis* octo gradibus, observatam esse 200 post annis ab *Hipparcho*, præcedere tantum sex; Et 260 post à *Ptolemæo*, non multò amplius gradibus tribus: hoc autem tempore seu annis 1500 post, observatum est subsequi ipsam idem punctum, gradibus prope 19. Atque sic stella *Prima Arietis*, quæ *Timocharis* tempore distabat solum ab *æquinoctio Verno* duobus gradibus, depræhenditur jam distare ultra gradus 29; unde communiter hic motus *Præcessio Æquinoctiorum* vocatur.

Præcessio  
Æquinoctio-  
rum.

Et quia hic motus (tali modo) lentissimè super *Polis Eclipticæ* peragitur, non absolveret secundum *Ptole-*

mæum circuitum unum, nisi intra annorum 36000, (utputa unum tantum gradum intra annos 100 conficiens) tametsi juxta *Alphonsinos* statuatur intra 49000: juxta *Recentiores* verò peragere potius intra annorum proximè 25000, utputa unum gradum intra 70 annos absolvens.

Hæc igitur (ne dicamus jam de motu *Trepidationis* sive *Accessus & Recessus*, seu *Librationis*, qui ex anomalia quadam præcessionis *æquinoctiorum* ortus est, dum terminus ipse à quo longitudines cælestes numerari solent, nempe punctum *æquinoctii Verni*, incertus, & nunc velocius nunc tardius) & id genus alia, quæ quomodo fieri possent, apparerentve, ut explicarentur, varii varia commenti sunt. Communiter supposuerunt *Antiquiores*: Etiam si nobis *Cælestes* motus, inæquales irregularesque appareant, debere tamen *æquabiles regularesque* secundum se esse, neque enim difformitatem aliquam competere posse corporibus cælestibus, immortalibus, putabant. Quare quæsiere, quomodo per motus circulares ac *æquales* salvari hæ apparentiæ possent, vel ex supposita quiete *Terræ*, vel supposito istius motu; Quandoquidem maxima hominum pars, *Terram* in centro *Mundi*, immobilem collocabat.

Motus Trepidationis.

### CAPUT III.

De *Antiquiorum duplici Systemate*, vel ex suppositâ *Terræ Quiete*, vel supposito istius Motu.

Suppositâ ergò *Telluris Quiete*, Hypothesis prima fuit *Anaxagoræ*, *Democriti* & aliorum, qui censuerunt *Astra* moveri liberrimis spatiis, ac nullas esse *Sphæras solidas*, quibus alligarentur, nullum primum mobile, nullum motum secundum, quo ferrentur in ortum; Sed competere solùm ipsis motum simplicem in occasum, ac illa apparere moveri in ortum, quæ ferantur segnius in occasum.

At debuerunt etiam addere, cur non solum segnius, sed & velocius incederent, & cur nonnunquam majores, nonnunquam minores appare-

rent, quareque nunc retrogradi, nunc stationarii essent &c. Ideoque *Pythagoras Samius* apud *Græcos Philosophus insignis* (qui tempore primæ obsidionis *Hierosolymitanæ*, atque sic 600 circiter annis ante *Christum* natus, è patria sua propter hostes in eam partem *Italiæ* quæ *Magna Græcia* dicta est, concessit, & *Crotonæ* degit) aliud Systema, per quod apparentiæ & hypotheses *Planetarum*, mirabili facilitate suis motibus correspondent, prodidit; in quo Solem in medio *Mundi* stare, & *Terram* mobilem esse asseruit. Quam sententiam deinde *Discipuli ejus*, eorumque suc-

Pythagoras  
vixit 600  
annis ante  
Christum.

Pythagora  
sectatores.